occurrunt, reperiunt in lacu geniculantem virgi-
nem, vix unus duntaxat bolus huic tantæ voraci-
tati, futuram. Quid hic Aud. in bestia nisi bestiam
videre, et voracissimam quidem expectatis? expectationem
superabit ipse rei eventus: et bestias videbitis,
sed non quales impia terra, et profanata hominum
sceleribus iam alere solet, sed quales ille hortus vo-
luptatis, illa tranquillissima pacis ac concordiæ
felix olim regio Protoparentum nostrorum vidit; modo
enim ut virginem videre, et vultus modestiam, tesseram
innocentiæ: ut pudicam lætamque frontem, puræ
testimonium conscientiæ inspexerunt, detonuêre
terrorum fulmina, resederunt irarum furiæ, ira in
mansuetudinem, feritas in lenitatem prima versa
fuerunt, iucunda metamorphosi immutata omnia
ipsa natura, sua sponte ad primum innocentiæ
statum iam rediit, agnoscunt bestiæ innocentiam
virginis, mirantur pulchritudinem, venerantur
sanctitatem, accedunt, seque ad pedes sacros abjiciunt,
non illius, sed pro ipsa suum etiam cruorem fundere, illamque
propriis corporibus, firmissimo quasi aggere facto
defendere parati sunt: honorant sacra vestigia,
lambunt omnis criminis innoxias plantas, suaque
mansuetudine lenocinantur blande virgini ad
lætitiam, confundunt humanam nequitiam, spectatorum
animos docent sanctos venerari, non lædere, virtuti